



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VII. De consecratione Episcopi electi & confirmati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. VII.

De Consecratione Episcopi electi,  
& confirmati.

Confirmationem Episcopi electi sequitur consecratio, uti colligitur ex *c. providē 44. h. 1. in 6. juncta Glos. V. Consecrationes.* Debet autem hæc consecratio, sine speciali gratiâ obtentâ, non differri sine legitimo impedimento ultra tres menses, à die confirmationis acceptæ numerandos, sub certis pœnis à jure tam antiquo, quàm novo *Trident. sess. 23. c. 2. de reform. Statutis.* & si à Pontifice confirmari electus debuit, fieri ea non potest, nisi ab ipso Summo Pontifice, aut ex ejus expressa commissione ab aliis Episcopis inferioribus: & quamvis de jure communi à tribus Episcopis Episcopus consecrandus esset; probabilius tamen est, quòd ex dispensatione Pontificis ab uno etiam Episcopo, assistentibus duobus Abbatibus, aut alijs in Ecclesiasticâ dignitate constitutis Presbyteris loco duorum Episcoporum, ubi horum copia haberi non potest, consecrari possit Episcopus, prout testatur *Barbosa B. Pium 5.* concessisse, & quidem fieri debet hæc Episcopi consecratio inter Missarum solemnias, inter Epistolam & Evangelium, die Dominico, ita ut plenum jus postmodum habeat, non tantùm ad eas functiones, quæ jurisdictionis sunt, sed ad ea etiam exercenda, quæ sunt Ordinis Episcopalis; & quæ prius obtinebat, beneficia inferiora perfectè jam vacent; *c. licet 28. de præbend. in 6.* si tamen tempus, consecrationi definitum à SS. Canonibus, elapsum jam sit, vel pacificam & utilem sui Episcopatus posses-

sionem jam acquisiverit consecratus Episcopus. Quòd si tamen à Pontifice dispensatus fuit confirmatus Episcopus, ut etiam post elapsos tres menses consecrationem accipere non teneatur, certum quidem est, quòd ante elapsum longum etiam tempus, ad quod dispensatus fuit, non teneatur consecrationem accipere, probabilius tamen est, quòd post lapsum trium mensium spatium, omnia confirmati Episcopi beneficia inferiora vacent, ne melioris conditionis sit, qui Sacros Canones non observat, sub quocunque prætextu dispensationem obtinendo ad differendam consecrationem, quàm quæ eos, consecrationem intra tres menses accipiendo, observat. Quæ tamen hic dicta sunt de beneficiorum inferiorum vacatione in casu consecrationis acceptæ, aut elapsi trimestris spatij, intelligi debent non de Episcopis Titularibus tantùm, qui non possunt habere spem pacificæ possessionis sui Episcopatus, quorum beneficia nec per consecrationem vacant; nec de illis Episcopis in curia promotis, aut confirmatis, quando in ipso promotionis actu consistorialiter decernit Pontifex, omnia alia promoti beneficia à tempore confirmationis vacare, sed de illis Episcopis, ubi tale decretum non intervenit, & qui pacificam sui Episcopatus possessionem, vel jam obtinent, vel securi sunt de eâ mox obtinendâ.

